



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De primitiua Ecclesia. ii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMA- ciensis Episcopi, de Ecclesiis, De- cretorum Liber III.

ARGUMENTVM LIBRI.

Liber hic de diuinarum domorum institutione, cultu & honore, de decimis & oblationibus, deq; iustitiis singulorum tractat: quiq; libri in sacro catalogo recepti, qui reiecti & apocryphi sint, ostendit.

Quid sit Ecclesia. Cap. I.

Ex decre.
Iulij pa-
pa, cap. 5.

Ecclesia Græcum est, quod in Latinum vertitur conuocatio, propterea quod omnes ad se vocet. Catholica, id est, vniuersalis, ideo dicitur: quia per vniuersum mundum est constituta, vel quoniam catholica, hoc est, generalis in eadem doctrina est ad instructionem.

De primitiua Ecclesia. Cap. II.

Ex decre.
Melchia.
papa. ca.
8.

Nemo, qui scripturas diuinas legit, ignorat, quod in principio nascentis Ecclesie, discipuli in vnum congregati sunt cum multitudine credentium, in quibus erat cor vnum & anima vna, quiq; vendentes prædia & possessiones suas, adferebant præcia, & diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat. Futuram namq; Ecclesiam in gentibus apostoli præuidebant, maximèq; quia dominus illis prædixerat: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium, vel quia expellendos esse à Iudæa nouerant se & in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregandam et rudi populo, idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed præcia tantummodo ad fouendos egètes. At verò, cum inter turbines & aduersa mundi succresceret Ecclesia: adeo usq; peruenit, vt non solum gentes, sed etià Romani prin-

cipes, qui penè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & ad baptismi sacramenta concurrerent.

Quòd sacerdotes agros quos vendere solebant, ad communem utilitatem Ecclesiarum tradebant.

Cap. III.

Videntes autem sacerdotes & leuitæ & reliqui fideles, plus utilitatis posse adferre, si hæreditates, & agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant episcopi traderent, eò quòd lex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam deducuntibus, quàm ex precio ipsorum, cœperunt prædia & agros quos vendere solebant matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.

Quo tempore viri religiosi se ipsos domino consecraverunt, ædificantes basilicas in suis fundis.

Caput IIII.

A billo enim tempore & deinceps viri religiosi non solum possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos domino consecraverunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martyrum per ciuitates, ac monasteria innumera, in quibus cœtus domino seruientium conueniret. Denique reges & præfides ac magistratus non solum hæc licentiam tribuere, sed etiam ipsi propria largiti sunt per vniuersa regna terrarum, unde alerentur egentes qui nihil in mundo possidebant, Ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque & Ecclesiæ eius ritè famulantium, seruorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur.

Quòd Constantinus primus imperatorum fabricandi

Ecclesias licentiam tribuit. Cap. V.

E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem in suo degentes Imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandas Ecclesias, & prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa, & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit, ad eò ut sedem imperiale qua Romani principes præsidebant, relinqueret, & B. Petro, suisque successoribus profuturam concederet.

L iij

Ex decre.

Urban.

papa, ca.

2.

Ex decre.

Melchia.

papa, ca.

12.

Ex eodem

cap. 30.